



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXXIV. Der Markgraf Otto von Brandenburg errichtet zwischen den
Herzögen Albert und Johann von Braunschweig einen Vertrag über die
Theilung ihrer Lande, am 1. April 1267.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

niri, ut ope mutua in reparando collapsum statum imperii nos juvemus. Serenitatem vestram omni affectione, qua possumus, deprecamur, quatenus apud illustres principes Johannem et Ottonem, marchion. Brandenburg. et heredem .. ducis Saxonie omni, qua potestis et scitis, industria et sollicitudine laboretis, ut nobis velint in promptitudine devotionis et fidei cohaerere. Nos enim juxta vestrum consilium, in quantum ad id se nostra extendit facultas et possibilitas patitur, erga eos nostra(m) munificentia(m), cum per vos exinde certiorati fuerimus, procul dubio extendemus. Vnde super iis, si placet, voluntate ipsorum diligenti scrutinio exquisita, velitis nos de singulis vestris literis reddere certiores.

Ausführlich von Palacky mitgetheilt in den Abhandl. der Böhm. Gesellsch. der Wissenschaften V. Folge, Bd. II, S. 263. 264.

CXXIV. Der Markgraf Otto von Brandenburg errichtet zwischen den Herzögen Albert und Johann von Braunschweig einen Vertrag über die Theilung ihrer Lande, am 1. April 1267.

Hec est forma, qualiter mediante illustri Principe, Marchione Ottone in Brandenburg, super separatione et diuisione illustrium Principum Alberti et Johannis, Ducum in Brunswic, presentibus vtriusque Consiliariis, exstitit placitatum. Quinta feria ante Dominicam Judica miserunt sortem cum tesserbibus dicti Duces, quis ex eis bona ipsorum et dominium eque diuideret, et alter eligeret partem, que sibi magis placita videretur. Cecidit itaque fors super Ducem Albertum, vt diuidere debeat, qui tam dominium, quam homines tam distincte et remote in diuisione ab inuicem separabit, quod nullus pressuram ab altero patietur. Brunswic erit dominium speciale, et Luneburg aliud per se, et ad vnum istorum apponetur Tzellis, et ad aliud dominium Ghishorne, et hoc stabit in arbitrio diuidentis. Sancti Petri in Luttere et Sancti Egidii in Brunswic Abbatie porrigi debent ab illo, qui Brunswic obtinet. Abbatias vero in Luneburgh et in Northeim et Preposituram in Allborch conferre debet ille, qui Luneburgh obtinebit. Ceteras Preposituras et prebendas ambo Domini Duces porrigere debent alternatim, ita vt Dominus Dux Johannes Preposituram vel prebendam primo vacantem porrigat, et Dominus Dux Albertus statim vice altera vacans beneficium aliud pro tempore porrigat, siue Prepositura fuerit vel prebenda. Beneficia autem Ecclesiarum quilibet in suo dominio conferat, cui placet. Similiter Preposituras Sanctimonialium, que ab eis conferri debent, quibus in suo dominio persone idonee conferat, secundum quod ei dominus inspirabit. Insulam, que dicitur Ghyssenwerder, et omnem ditionem, quam habent ad Huxariam et Hamelen ciuitates, retinebunt, pariter indiuisam. Similiter et bona eorum in Dacia et omnem actionem, que ipsos de Dacia contingere potest, habebunt etiam indiuisam. Et liberos insuper ipsorum homines non diuident et ministeriales suos, vbiunque extra dominium sunt manentes, tenebunt etiam indiuisos. Urbem Brunswic tenebunt ambo, et de ea debent Principes nominari. Sane Dux Albertus habebit tempus diuidendi vsque in quartam feriam post festum B. Walburgis proxime nunc venturum, vt ipso die in placitis ad altam arborem seruandis, diuisio decla-

retur: et si placitum illud non fiet dicto die, in ciuitate Brunswic debet diuisio declarari. Diuisione declarata, Dominus Dux Johannes vsque in Ascensionem Domini proximam habebit tempus libere decidendi (deliberandi?), et eodem die, vel ante, quam partem elegerit, declarabit. Preterea vniuersa debita, que tenentur soluere, siue promissa, siue sine promisso, vel pro quibus ipsorum homines promiserunt, debent persoluere equaliter, quilibet partem suam. Vt hec autem omnia plenarie obseruentur, vterque Ducum premissorum in manus Marchionis Ottonis, auunculi ipsorum, promiserunt adimplere, manualiter fide data, et id scripto presenti cum sigillis eorum communito manifestissime protestantur. Datum Brunswic Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, quinta feria ante Iudica.

Nach Scheidt, Orig. Guelfic. in Praef. p. 13—18. — Der Inhalt dieser Urkunde geht zwar, bis auf den Anfang und das Ende, die Brandenburgische Geschichte nicht unmittelbar an. Indessen ist es interessant für die Geschichte der Brandenburgischen Landesheilung, welche gerade um diese Zeit zu Stande kam, zu bemerken, daß gleichzeitig und unter Brandenburgischem Einfluß eine ähnliche Landesheilung im Braunschweigischen vorgenommen wurde; daher die Urkunde vollständig mitgetheilt ist.

CXXV. Die Grafen Otto und Heinrich von Anhalt veräußern Wegeleue, Gundersleue und andere Besitzungen an das Erzstift Magdeburg unter Garantie des Markgrafen Otto von Brandenburg und des Herzogs Albert von Braunschweig, am 1. Mai 1267.

Nos Otto et Henricus, Dei gratia Comites de Anhalt, notum facimus vniuersis, praesentes has literas inspecturis, quod proprietatem nostram Castrum et Oppidi Wegeleue, et omnium contentorum infra murum Wegeleue, et quicquid hoc nomine censetur, Wegeleue cum iudicio infra murum et officio Praefecturae et moneta, cum omni usufructu et iure, prout castrum id et oppidum nos habemus, et in campo ibidem, cum pratis, pascuis, aquis et aquarum decursibus et molendinis et piscationibus, silvis et cum LVIII mansis in Wegheleue et Gunderleue, necnon Maldeleue XXIV mansis, et uno molendino et in Dedesdorp VII mansis, in Wiboy XIX mansis et in Ditforde XII mansis. Item in Haselendorp et Heyrekestorp XL mansis, de consensu illustri nostrae matris Mechthildis et haeredum nostrorum plenaria voluntate, venerabili Domino Conrado, Sanctae Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopo, et suae Magdeburgensi Ecclesiae donauimus in perpetuum proprietatis titulo possidendum. Quae omnia ab ipso recepimus iusto titulo feudali, cuius in restauratione sexcentas marcas argenti venerabilis Dominus Archiepiscopus nobis dedit. Ut haec donatio firmitatem obtineat in futurum, ne quis eam praesumat infringere vel valeat infirmare, Cum ex hac causa, quod nos Henricus minor annis infra annos pubertatis sumus et dicimur constituti, et ex quacunque alia in posterum emergente, Unde haec bona vel ex his aliqua ipso iure impeti poterunt vel evinci, promissimus fide data nos ipsi et pro nobis nostri homines, Dominus Hermannus de Wegheleue, Dominus Bertoldus de Welpesleue Pincerna, Dominus Randewicus de Alfleue, Dominus Theodericus Stumpe, Dominus Olricus Marscalcus, Johannes de Berge Pincerna,